

regularibus, vt possint extra Ecclesiam celebrare.

¶ Gregorius. 13. 8. Septembris, anni Domini. 1573. patribus Iesuitis hoc idem cōcessit, primo ad decennium, deinde ad aliud decennium, quod fuit finitum die. 11. Augusti anni. 1593. Et Sixtus. 5. die. 14. Martij anni Domini. 1587. Pontificatus sui, anno. 2. ad aliud decennium extendit prædictam gratiã [ sicut & alias. Societati Iesu concessas ] Et tandem Gregorius. 14. die. 21. Septembris anni Domini. 1591. Pontificatus sui anno. 1. eandem gratiam extendit ad alios. 20. annos, à data suarum literarum. Verum superiores concessiones Clementis. 4. & Sixti. 4. favorabiliore sunt, quia perpetuę & sine limitatione vlla. Quid? & etiam iure communi concessum est, in Missę sacrificio posse vti Altari portatili. Dicitur enim in Concil. Tiburtiano. In itinere vero positus, si Ecclesia defuerit, subditi, seu intentorij: itē si tabula Altaris cōsecrata, ceteraq; Sacra mysteria ad id officium pertinentia ibi affuerint, Missarum solemnia celebrare concedimus. c. Cōcedimus, de Consecratione. d. 1. Fratres etiam Prędicatores, & Minores habent priuilegium